



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quæstio 72. Sed si priusquam constet de ejusmodi impedimentis si
excommunicatio decernatur, eritne valida.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

 QUÆSTIO SEPTUAGESIMA PRIMA.

An debeat constare deesse alia remedia, antequam excommunicatio decernatur.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatio non decernenda, quamdiu supersunt alia executiones seu personales seu pecuniarie.

Qualiter constabit non superesse alia remedia.

1. **E**xcommunicatio decerni non debet, quamdiu vel multis, seu paucis pecuniariis, captionibus pignorum, personarum districtionibus, aliisve juris remediis procedi potest. *Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.* sed an necesse sit cogitare de aliis remediis deficientibus, hoc est realem aut personalem executionem fieri non posse, an vero satis sit, si de eo extrajudicialiter constet, sacra congregatio quam refert Ioannes Gallemart, *ad Conc. Trid. d. sess. 26. cap. 3.* censuit debere ex actis constare, sed si non sic potest constare respondit, quod sufficit probari per nuntii relationem, aliis exequi non posse.

 QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

Sed si priusquam constet de eiusmodi impedimentis, si excommunicatio decernatur, eritne valida.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatio lata adversus formam à *Conc. Trid. præscriptam* est nulla.
2. Actus gestus formam non servatam corrumpit.
3. Ordo à Pontifice datus si non servetur, actus vitiat.

1. **V**idetur quod non, quia lata adversus formam Concilii Tridentini, *d. cap. 3. sess. 25.* actus enim, non servatam formam gestus corrumpit. *Præsertim locis loco à formate Apost. ad Abbatem cap. cum dilecti ann. 12. de rescript. ubi etiam fuisse Felin.*
2. & quando ordo datus à Papa non servatur, actus est nullus. *Innoc. d. cap. cum dilectis*

lecta Apost. Ad Barb. l. cum lex. num. 6. ff. de fideiuss. Attamen Ioannes Gallemart. loco præcedente quæstione citata contrarium censuit. In hæc verba.

Excommunicatio lata à iudice Ecclesiastico, priusquam legitime constet de impedimento vel perturbationibus ob quas non potest devenire propria auctoritate ad executionem realem vel personalem est valida, & qui tali excommunicatione ligatus esset, indiget absolutione, debent tamen ordinarii curare ut in excommunicationibus proferendis observentur decreta Concilii Tridentini, qua de re plenius infra quæst. 79.

QUESTIO LXXIII.

Quid si conservatores quempiam nulliter excommunicent, qualiter ita excommunicati se poterunt tueri.

SUMMARIUM.

1. Nulliter aut inique excommunicatus quod remedium debeat adhibere.
2. Quod non est, non oportet timere.
3. Scandalum timendum est.
4. Publicanda est causa ob quam excommunicatio non valet.

Respondeo, quando excommunicatio non tenet, excommunicatus debet publicare causas quare non sit excommunicatus, & tunc non est amplius scandalum pusillorum sed Pharisæorum, *Silvester in summa verb. excommunicatio 2. casu 1. vers. dicit autem Iacobus à Capua. penitentiarius major. in verb. Neapolitan. de casibus conscientie, lib. 4. cap. 3. num. 13. id ipsum tradit Navarrus, in Rep. cap. cum contingat Remed. 2. num. 4. de rescriptis.* In hæc verba.

Excommunicatus nulliter & denunciatus publice, non tenetur abstinere à divinis, neque ab alia hominum legitima communicatione, modo nullitatis causa publicata fuerit secundum *Palud. in dist. 18. q. 1.* In hæc verba. Qui nulliter excommunicatus denuntiatur, ita ex adverso ipse publicet causam, quando sententia non valet, puta appellationem vel aliam iustam causam, quo facto amplius non est scandalum pusillorum sed Pharisæorum, unde est contemnendum, quæ ipsamet verba retulit & probat *Beatus Antonius in cap. 73. tit. 24. part. 3. in spec. item quod excommunicatio lata in eum qui iure contradicit virtute clausulæ contraditores, non sit timenda neque curanda, tradunt Innoc. Oltra. Archid. Io. Andr. Doms*